
DISSERTATIO MEDICA

DE NATURA CAUSA FEBRIS EFFICIENTE.

Propugnata Deo duce, & auſpice Deiparâ in Auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis fano, ab Authore PETRO-ARNALDO SALLES Martinicano apud Americanos, Artium Liberalium Magiſtro, jamdudùm Medicinæ alumno, die ſecundâ menſis Martii anni 1759.


Pro primâ Apollinari Laureâ conſequendâ.



MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ, Typographum unicum.

M. DCC. LIX.



DISSERTATIO MEDICA.

DE NATURA CAUSA FEBRIS EFFICIENTE.

1. FEBRIS, si phœnomena illius spectes reliquis morbis est notior, si constitutionem & causam, omnium ignotissima. *Bagl. cap. xiij. pag.* 139.

2. Hinc (prout fieri solet in rebus obscuris) tot apud Medicos ortæ controversiæ, tot de causâ febris genuinâ prolatæ fuerunt hypotheses ut omnes hìc annumerare supervacaneum omninò foret ac inutile; præcipuas his referendas seligemus, easque minùs vero consonas obiter refellemus.

3. Alii, dum vigebat Chemia, omnia phœnomena tum sanitatis, tum morbi acidorum & alkalinorum ope, se explicare posse superbientes, ex vi fermentationis & effervescentiæ causam febris efficientem deducere conati sunt, sed obsolevit jamdudum hæc opinio cum nec acida, nec alkalia saltem evoluta sanguini inesse millenis demonstratum fuerit experimentis, ita ut ulteriori argu-

mento ut e Scholis excutiatur non indigere censeamus.

4. Alii, ab obstructionibus vasorum minimorum febrim immediatè induci contendunt, quæ tamen opinio utpotè hodiernis temporibus omnium in Scholis receptissima, ideò scrupulosiùs paulò rationis trutinâ librandam esse ducimus, sed ne in immensum tædiosumque cresceret mea Dissertatio, hæc præcipua satis sit objicere.

5. 1°. Falsissimum est principium quo tota eorum innititur theoria scilicet, in vasis angustatis quibuscumque accelerari motum liquidi, cum apud omnes hydraulicos pro rato habeatur, velocitates fluidorum intrà idem medium fluentium crescere tantumodò in ratione subduplicatâ potentiæ motricis, ut satis demônstrant flúmina obicibus coarctata (a).

6. 2°. Dato, non concesso, velocitates fluidorum intrà vasa angustata multiplicari, numquam exinde sequeretur majorem sanguinis quantitatem per hæc vasa transmeari, ut pote cum velocitas tunc orificiorum angustiam compensaret, proindeque eandem prorsùs sanguinis quantitatem in cordis thalamos revehi intrà datum tempus.

7. 3°. Si vasorum angustia esset causa velocitatis fluidorum quoniam ex axiomate æternæ veritatis, causis proportionales sunt effectus, ex angustiâ infinitâ seu totali obturatione, ex necessitate subsequeretur infinita velocitas, quod repugnat.

(a) *De Sauvages*, *Dissert. Acad. sur la cause de la Fièvre.*

8. Prætereà ſcimus ex Phyſices legibus corpus quieſcens quodcumque alteri corpori motum impertiri nequaquam poſſe; porrò ab obſtructionibus vaſorùm minimorum motum ſanguinis velociorem ſeu febrim proximè & immediatè repetunt adverſarii.

9. Hæc ſatis dicta cenſemus ut perſpectum habeatur quam parum hæc(no. 4)valeat, totaque poſtera Medicorum gens ab eâ brevi diſcedens tempore certiùs validiùſque multò exhibebit teſtimonium.

10. Sunt & quidam inter recentiores, & nominatìm Stahlius, Sydenhamius, Nenter, Baglivus qui antiquorum opinionem Obſervatione, experientiâque ſtabilitam redivivam facere in votis habent, principiumque quoddam in nobis à primo conceptionis momento innatum, cui à ſupremo numine machinæ noſtræ Committitur Provincia pro cauſâ febris primariâ & efficiente virilitèr incúſant.

11. Nos autem animo præjudicatis opinionibus non obcæcato ſedulò hanc (n°. 10) volvimus examine huicque tanquam minùs hypotheticæ, à vero proindè minuùs alienæ lubentiùs primâ frontes adſtipulari cenſuimus, verùm ut quadàm methodo proſequatur ſermo, tria hic nobis perpendenda veniunt 1°. Quid hujus principii (n°. 10) nomine ſit intelligendum. 2°. An reverà exiſtat, 3°. Cauſam febris primariam & efficientem id eſſe probabitur, hæc ſigillatim pro tenuitate noſtrâ totidem indagabimus Articulis.



ARTICULUS Ius.

Quid hujus principii nomine sit intelligendum.

§ 2. NUllum fermè apud Philosopho-Medicos extat vocabulum quod tam plures, & tam varias habeat significationes, quodque eo ipso tantâ obscuritate, & ambiguitate laboret, quam hujusce principii vox, veteres dixerunt illud naturam, item animam ut Aristoteles, Hypocrates calidum omniscitum, impetum faciens, Galenus calidum innatum, spiritum insitum, Scaliger sapientissimam vim plasticam, Helmontius Archæum, apud recentiores modo animæ, modo naturæ, principii motûs, vitæ, modo tandem irritabilitatis nomine gloriari solet.

§ 3. Cum autem hæc vocabula omninò indifferentia sint, eademque prorsùs significent, idcircò modò unum modò alterum pro cujusque genio adhibere fas est, sed ut voce generaliori rem designemus nomen *Naturæ* usurpabimus.

§ 4. An natura pendeat ex mechanicâ quâdam corporis dispositione, organisatione, ità à supremo rerum conditore fabrefactâ, ut singularum partium functiones consonantiam quandam inter se servent, manusque auxiliatrices invicem sibi præbeant ad causam morbi debellandam uti contenderunt percelebres Virî (a) an verò sit facultas quæ-

[a] *Fred. Hoffman, Diss. de naturâ Morb. Medicatrice, Boyl. tract. de naturâ.*

dam animæ notitiâ quâdam intelligente instructa, morali quodam actu corporis actiones internas sanguinisque & humorum motiones certo tempore, certâ proportione, mensurâ, ac gradu motûs dirigens & moderans, uti Sthalio placuit, multùm apud Medicos controvertitur.

15. Bella quidem & ingeniosa valdè primâ opinio sed quam parùm vero consona sit, quis non videt qui ad modum quo variæ in œconomiâ animali peraguntur functiones paululùm seriò attenderit.

16. Vulgatissima apud eos viget motuum corporis humani divisio in voluntarios seu arbitrarios, in planè mechanicos seu automaticos, & tandem in mixtos, porrò nullam in humano corpore fieri motionem merè mechanicam id est solo partium mechanismo evincere non nobis arduum erit, neque difficile.

17. Si inter actiones mechanicas, sive, ut aiunt, automaticas recenseri mereantur quædam corporis humani functiones profectò ipsorummet adversariorum consensu, cordis motus qui nobis insciis sive velimus, sive nolimus indesinenter perennatur porrò quam singularem mechanicam in cordis organismo dispositionem recludunt ad hoc ut merè mechanicè perduret; omnes ad unum consentiunt Anatomici eamdem omninò esse structuram Cordis ac cæterorum musculorum quoad fibras ipsius compositionem ingredientes, fibris dumtaxat carneis diversi modè textuque robustiori inter se compactis constari quæ quidem fibræ elateris vi pollent, & causâ contractionis generali contractiles deprehenduntur, iisce notatis nemo

non videt cordis motum posito quod merè mechanicè fiat, ab iisce tantummodò viribus repetendum, cum solæ in hocce musculo reperiantur, ac proinde si probetur hujusmodi vires huic motui perennando impares esse, idealem prorsùs & ficritiam opinionem ipsis fatendum erit.

18. 1°. Ab elatere fibrarum cordis elici non potest motus cordis mechanicus seu automaticus. . . . in homine sano pulsus observatur æqualis eâdem vi digitum explorantis ferit arteria, proindeque contractiones fieri æquali temporis intervallo à sese invicem distincto, æqualique virium momento sanguinem è ventriculis cordis per arterias appensas qualibet contractione propelli ex Phisiologicis liquet, hinc fibræ cordis (admissa eorum hypothesi) eâdem omninò vi debent resilire quâcum ictæ fuere, nihilque omninò de motu communicato deperdere; verùm repetitis Neutonii experimentis evictum fuit corpora ea quæ summè elastica novimus, ut vitrum, ebur, lamellæ chalybeæ, nunquameumdem precisè gradum motûs referre quem acceperunt, ergo fibræ cordis quas iisce corporibus magis elasticas, nemo, opinor, pronuntiaverit, majorem adhuc de motu communicato portionem deperdere censendæ sunt, & hocce pacto post quasdam cordis contractiones, si solius elateris ratio habeatur, brevissimo temporis intervallo corde à motu cessante, sufflaminaretur vita.

19. 2°. Neque à solâ fibrarum contractibilitate pendere potest motus cordis mechanicus. . . . . . contractionem quamcumque in animali vivo influxu liquidi nervei in villos musculorum motricestotam

deberi apud phisiologos in confesso est, itaque cor utpotè musculus cujus structura nihil in se fert singulare uti jam innuimus (n°. 17) contractiones suas edere nequit quin tale applicetur liquidum nerveum, unde à vi quâ liquidum nerveum villos cordis motrices subit, vim cordis in sistole desumendam patet ex axiomate hoc triissimo, *causis suis proportionales sunt effectus*. Jam vero nullo refragante physiologo quidquid motûs habet liquidum nerveum totum accipit à sanguine arteriis carotidibus & vertebralibus ad cerebrum devecto quæ solæ substantiam cerebri irrorant, proindèque ad summùm eodem gradu motûs polleret liquidum nerveum in nervos cardiacos propulsum quo sanguis illemet in arteriarum supra dictarum tractu protrusus (quod quidem gratis omninò datum censemus) verum demonstrante Keillio, quæcumque mechanica sit cordis dispositio, vis fluidi nervei in nervos cardiacos immissi est ad vim quâ sanguis in aortam truditur ut 1 ad 1936000000, proindèque, cum major motus à longè minori produci nunquam possit, liquidum nervenm eâ quâ vi in nervos cardiacos propulsum vidimus, movendæ toti massæ sanguineæ prorsùs impar censendum est, quod erat probandum.

2°. Objicient forsitàn aliqui, nonne maxima pondera à minimi motenti potentiis quotidiè sublevari cernimus, positâ quâdam machinæ structurâ favente, sed advertant. 1°. A machinarum dispositione vires potentiarum motricium non multiplicari, cum res eodem prorsùs modo se habeat ac in vecte, scilicèt inter potentiam motricem & resis-

tentem 2°. Hanc mirabilem & ſingularem cordis ſtructuram ab ipſis certò aſſignari nequaquam poſſe, niſi in ipſiſſimâ cordis ſtructurâ ſtatuantur veſicularum ſeries quæ apparatum quemdam magnificum ibi componentes, in explicandis omnibus omninò cordis phænomenis commodiſſimè applicantur, ingenioſiſſimum quidem excogitatum, harum autem veſicularum exiſtentiam imaginariam gratuitamque omninò aſſerere non dubitamus, tum quia hæc veſicularum ſeries ferè innumera oculorum omnium ſive nudorum ſive microſcopiis optimis armatorum aciem effugiat, tùm quià in anatomia in mera imaginationis commenta quorum veritatem non demonſtravitCultellus anatomicus principia ſuperſtruere, vel & etiam ex iis conſequentias elicere, nefas omninò ducimus, utpotè cùm hypotheſes magis ac magis tenebroſâ nocte animos involvant, ex hiſque nihil boni in medicinâ redundari poſſe conſequens eſt.

21. Fuſiori jam ſermone ſubversâ mechanicorum (no. 14) opinione Sthalianis primo quaſi intuitu inhærentes juxta ordinem propoſitum, quid naturæ nomine apud nos veniat intelligendum paucis nuuc determinare juvat.

22. Hominem conſtare ex animâ & corpore ſimul unitis, corpus eſſe merè paſſivum, iners, ad quietem, ad motum omninò indifferens, in animâ verò totam reſidere vim corporis motricem, ſolique animæ à ſupremo numine creatæ nobiliores competere hominis facultates, vix ac ne vix quidem chriſtianæ fidei cultoribus dubitare licet.

23. Coroll. quoſcumque motus in humano corpore

pore animæ imperio adſcribendos, non verò materiæ (uti ſtatuere voluit impia Epicurii cohors quæ ſemetipſam ingenii quâdam ſubtilitate illudere amat) ex allatis (22) patet manifeſtiſſimè.

4. Diverſas eſſe animæ facultates quæ ſuo quæque modo tutelæ compagis humanæ conſulant, nemo eſt qui inficiari debeat; ſic voluntas à ſupremo creatore dono homini conceſſa fuit ad hoc ut imminens periculum ſenſibus perceptum, certo & determinato quaſi ordine contractis variis muſculis vitetur, fugiaturque, & bonum exoptatum obtineatur. aſt ſi hoſtis interiora jam corporis aggrediatur, alia donata fuit facultas cujus ope anima irritata poſſit in eum inſurgere, vincere, expellere, vel illius pravas qualitates immutando amicum humoribus facere, hæcque à medicinæ Romulo Hippocrate, ejuſque aſſeclis tam famoſiſſimè decantata apud nos nomine naturæ indigitatur.

5. Porro quænam ſit naturæ eſſentia? quo mechaniſmo vel quibus principiis efficaciter poſſit in corpus agere, latet, diuque latebit. Jam verò ut propoſito faciamus ſatis, ſtatuemus naturam eſſe facultatem animæ motricem, activam, morborum optimam medicatricem ſanitatis tutricem & conſervatricem ex Hipp. lib. Epid. 5°. cui à ſupremo conditore interior machinæ noſtræ commiſſa fuit Provincia, eâ ſcilicet lege ut quotiès intromitterentur in corporis interiora partes quædam hætero geneæ morbum excitantes, totiès in actum duceretur ut totis viribus in eas inſurgeret, earumque ſi fieri poſſit, quâcumque arte adhibitâ expul-

ſionem faceret, ſicque priſtinæ æconomiæ animali reſtitueretur ſalubritas. Hinc natura, in morbis potiſſimum acutis, dicitur luctam inire cum materie morbificâ, hæc ſi vincat, ſubitò tota obruitur machina, peritque homo, illa verò ſi triumphet evacuatione quadam ſalutari, inſtituta à Medicis *critica* dicta, infenſiſſimus hoſtis exterminationem machinæ moliens, turpiter quaſi foras amandatur, ſalvuſque fit homo.

ARTICULUS IIus.

An exiſtat Natura?

26. MIrum ſanè & dolendum pro ſalute generis humani quod ætate noſtrâ variis opus ſit argumentis ut exiſtentia naturæ in profligandis morbis demonſtretur ipſiſmet clinicis quibus eam operantem mirari quotidiè in praxi datum eſt. Tale autem vitium ex obſervationum penuriâ natales ducere extrà dubium eſt. Antiquiores Medici, felicioreſque, ſi unquam fuere, in arte curandi practici Sydenhamius, Baglivus, Nenter, Sthalius, aliique ſexcenti obſervatione ducti, obtemperando naturæ totam Medici ponebant ſcientiam. Horum pervolvatis opera, diverſis viis quas præ aliis ſeligere videtur natura, valdè attendendum eſſe quâlibet fermè paginâ reperietis Medicis commendare, ut exinde inducationibus therapeuticis deductis, variis auxiliis adhibitis, eam fovere, excitare, roborare ſi vi morbi debelletur, eamdemque ſi ferociat, reprimere, coarctare, atque coërcere poſſit

naturæ ſedulus obſervator Medicus.

27. *Quo natura vergit*, ait divus Senex, *eò ducendum per loca convenientiora. Medicus*, inquit Baglivus, *naturæ miniſter ac interpres quidquid meditetur, & faciat ſi naturæ non obtemperet, naturæ non imperat. In febribus præſertim acutis*, ait Sydenhamius *niſi ob ægrotantis errores nimis langueſcat, aut nimis ferociat humorum impetus, totum curationis opus providæ naturæ eſt commitendum. Non fingendum ſed inveniendum quid natura faciat aut ferat.* Verulam. Baco D. Thomas, *ex activis animæ facultatibus unam imperantem & dirigentem, alteram exequentem diſtinguit.* Carteſius ipſemet qui primus animam in corpus immediatè agere negavit, omneſque corporis motus ex mechanicis legibus deducere voluit ſic ſcribit ad D. Princip. Elizabeth *omnibus medicamentis ea antepone quæ petuntur ex animâ, cujus in corpus haud dubiè ſumma vis eſt ac potentia, quod magnæ corporis ab irâ, metu mutationes demonſtrant*, evolvite Ballonium, verſate Duretum, omnes idem ebuccinant.

28 Longè tamen alienus ſum ab antiquorum opinione, quorumdamque practicorum Pariſienſium qui è veſtigio Hippocratis præceptum Aph. 22 S. 1. adhucdum ſequentes ad ſeptimum uſque morbi diem otioſi naturæ ſpectatores ad corporis purgationem expectant, donec, inquiunt, viribus naturæ ſubacta, coctaque fuerit materies morbifica, ego, ſi quid hic judicare valeam, lubentiùs autor eſſem experientiâ quotidianâ duce, ut remediis prudenter adhibitis toto morbi decurſu adjuvaretur natura, potiſſimùm verò in principio quia ſci-

ficet materies morbifica tunc maximè cruda, ideò-
que intenſiori vi pollens contra naturam, ociùs ex
parte ſaltem evacuanda, ut deinceps natura effi-
caciùs multò pòſſit in eam inſurgere, coquere,
eam vel humoribus aſſimilare, vel quibuſcumque
viis evacuare.

29. Eò tamen loci obiter notandum venit diebus
criticis fortiorique ratione ſi criſeos brevi futuræ
inſtent ſigna apud ſemeioticos memorata, me-
dicum quandoque otioſum ſtare debere ſi quò ver-
gat natura, ut ipſi obtemperet nundum certus
evaſerit, potiſſimum ſi adhucdum viribus polleat
naura, certaque quaſi exinde præſagiatur victoria,
ne remedio intempeſtivè dato pretioſum opus na-
turæ interturbetur, infinitaque mala morſque
haud rarò ex tali errore ſubſequantur.

30. Declinante autumno adoleſcentem quemdam
Peripneumoniâ inſitâ Febri putridæ correptum
vidi, cui Medicus ſanguinis non parcus, venam
quatuordecies ſecari juſſit ad hoc ut miteſceret
pulmonum inflammatio, intereà tamen corpus
purgandi urgebat indicatio, lingua cruſtâ quâ-
dam nigreſcente obvolvebatur, Medicus in cu-
randâ peripneumoniâ totus addictus, ſaburræque
in primarum viarum tractu nidulantis parûm ſol-
licitus, ne minimam quidem catharſim promovere
operæ partium duxit, donec tandem ſedatis om-
nibus omninò Peripneumoniæ ſimptomatis, per-
ſiſtente purgandi indicatione, potionem cathar-
ticam & quidem ſatìs validam ægrotanti præſcrip-
ſit, quâ bis terve repetitâ criſeos proximæ appa-
ruerunt ſigna evidentia, remittebantur ſimpto-

mata, pulſus anteà depreſſus, correptus, parum intermittens, mollis, æqualis à pulſu ab illuſtriſſimo Bordeu (*a*) pectorali critico, ſeu gallicè *Rebondiſſant* dicto non penitùs abſimilis deprehendebatur, ſputa jam expuebat æger copioſo quidem ſatis rivo, triumphantiſque naturæ omnia manifeſtabant indicia, dum juvenis Medicus criſibus, ex obſervationum penuriâ non credens, medicamentum purgans ſeu potiùs venenatum adhibuit, quo vix ingeſto totà de repentè ſubverſa fuit criſis, ex toto evanuerunt ſputa de novo recrudeſcunt ſimptomata, accenditur febris, pulſus durus, depreſſus, convulſivus, *ſuppuratorius* evaſit, mortemque quaſi in procinctu eſſe viſum fuit, intereà tamen ad certum tempus omiſſis catharticis, Look, Ptiſannisque bechicis inuſum advocatis inſcius naturæ conſulens Medicus, remiſſis ſimptomatis, pulſus æqualis mollis, pectoralis criticus, adhucdum explorabatur, fauſtoque naturæ conatu jam erumpebant ſputa dum, ut tragediam ſolveret Medicus empiriſmo potiùs quam verâ obſervationum medicinâ edoctus, purgans aliud medicamentum inconſideratim præſcripſit, ex quo horrenda ſuborta fuerunt ſimptomata, uti membrorum convulſiones, Carpolalgia tandemque mors ſubſecuta fuit.

31. Virum quadragenarium temperamento fervido præditum, duris laboribus exercitatum, paucis abhinc menſibus inviſebat Doctor Medicus mihi amicitiâ conjunctiſſimus, tertium jam febris acutiſſimæ diem agebat, nauſeis vomitibuſque diſcrutia-

(a) *Recherches ſur les Pouls par rapport aux Criſes.*

batur, ſiti intensâ preſſus, calore vivido deurebatur, torquebat vividiſſimus capitis dolor, pulſus admodum velox, plenus, magnus, capitalis, effrænem humorum curſum, horumque ad caput præcipuè determinatum impetum indigitabat, iteratis venæ ſectionibus, biſque repetitâ primarum viarum purgatione ano & kato, diæta leviori, eâque refrigeranti & demulcenti inſtitutâ retundebatur die 7°, ſimptomatum ferocia, remiſerat febris, at dira perſtabat cephalalgia, rubebant occuli, involuntariè ſtillantibus lacrymis madebant, pulſus ſemper capitalis erat, ſimulque dicrotus, quæ quidem pulsûs conditio juxta inconcuſſas Solano, & Bordeu obſervationes, naturæ laborem proximam narium hemorrhagiam molientis deſignabat, hanc morbi ſolutionem prædixerat non ſatis laudandus obſervator amicus, ſollicitus, otioſuſque expectaverat, die 9°. Suborta eſt ſpontè larga narium hemorrhagia, plures jam ſanguinis unciæ ſtillaverant, præſens aderat fortuito ac miſerrimo caſu unus ex imperito Chirurgorum grege qui de more inconſultus extrâ crepidam ex ſurgens pulvere quodam ſtiptico nimis largam, ut opinabatur, hemorrhagiam compeſcuit, illicò autem ſuppreſsâ ſalutari & decretoriâ evacutione miſer ægrotans phreniticus evaſit, brevique temporis ſpatio fruſtra applicatis hirudinibus, inſtitutiſque venæ ſectionibus è vitâ diſceſſit.

32. Habemus nunc, quantum in nos penes fuit, tum Patrum Medicinæ auctoritate, tum & obſervationibus ſatis demonſtratam, ni fallor, exiſtentiam naturæ Morborum Medicatricis, quid ipſa-

met in ſanitate tuendâ conferat, quædam exempla ex ſtatu ſano deprompta invictè demonſtrabunt.

33. Vitam maximè ſanam indifinitèque longam ſenſu quodam interno tacitoque exoptare animam nemo eſt qui in ſemeptipſo quolibet momento non experiatur.

34. Ergo ſi cauſæ vel morales, vel phyſicæ his deſideriis adverſentur, non mirum ex principiis jam ſtabilitis, ſi natura per ſenſus commonefacta omnes corporis machinas accomodet, varioſque & ſingulares mechaniſmos exerat prò diverſis circumſtantiis eo fine vel ut malum quatenùs malum fugiatur, bonumque quatenus bonum aſſequatur, vel ut corpus Phyſicum, heterogenum, ipſique inimicum ſecernatur, ideòque tuta diuturnaque ſervetur ſanitas.

35. Sic in ſternutationis opere nobis inſciis imò & quandoque invitis varii exeruntur motus ad everrendum corpus acre, Tabacum v. g. moleſtans membranam pituitariam, plus ſolitò in omnem ſenſum ampliatur thorax, ad hoc ut aër inter expirandum copioſiùs pulmones irruat, ex iiſque dein pari proportione contractis fortiter muſculis expiratoriis majori vi & impetu propulſus corporis lædentis certiùs efficaciſùque multò expulſionem facere poſſit, ſed neceſſum erat ut omnis via aëri per os egreſſuro præpediretur, quia ſcilicet forſitan vis & quantitas aeris per nares naturaliter tranſmeaturi non ſatis energica forent ad finem determinatum aſſequendum, ideòque imperante naturâ, linguæ velum palatinum applicatur, ita ut tota aëris quantitas quâ data portâ per nares de-

flectere cogatur, ibique everrendo id omne à quo molestabatur membrana pituitaria; finem naturæ determinatum assequi.

36. Post somnum, si torpeat in artubus sanguis, natura ne hæreat, inflammationesque exinde subsecuturas metuens, alternis, concinnatisque vicibus varios contrahit musculos, ut vigor, fluxilitasque nativa sanguini concilietur, hominemque tunc pandiculari dicunt.

37. Quid demum! in partûs negotio solo naturæ jussu contrahuntur validé musculi abdominales, major fit inspiratio, complanatur diaphragma, iteratâ horum pressione, multiplicique fibrarum uteri contractione blandè undequaque premitur uterus, fœtus solâ ductus naturâ auras vitales subire impatiens, quantum in se penes est fortiter, pedibus fundum uteri pulsat, sicque paulatim os uteri & vaginæ dilatat, viamque faciliorem sibimetipsi è carcere tandem egressuro cudit.

38. Animadvertendum tamen quod positâ eâdem causâ phisicâ ad agendum naturam promovente diversa prorsùs à naturâ excitari phænomena.

1°. Pro qualitate materiæ morbificæ. 2°. Pro partis affectæ nobilitate. 3°. Tandem pro diversa ejusdem partis structurâ, enim verò partes quæcumque corporis non pari jure donatæ sunt ad exterminationem materiæ morbificæ, sic si materies morbifica in ventriculo dilitescat, facillimo negotio debilissimoque naturæ conatu per vomitum seu secessum evacuari posse deprehenditur; ast si eadem in ipsissimâ renum substantia lateat, ut potè cum difficilis admodum egressui sit locus, horrendos,

mirosque

miroſque conatus à natura tunc excitandos eſſe de facili elicere omninò conſequens eſt, idem dictum eſto de corde læſo, cerebro læſo aliiſque plurimis viſceribus principibus in quibus facilis non patet aditus.

ARTICULUS IIIus.

Natura cauſa febris efficiens.

39. IN omni febre motum ſanguinis intendi ſatis conſtans docet obſervatia, unde liquidó patefit cauſam febris efficientem eam eſſe quæ primarió conditionem hanc in ſanguine procreare, excitareque valebit.

40. Verùm ex viribus cordis adauctis æſtimandum venire motum ſanguinis velociorem ipſis tyronibus notum eſt, ergò cum effectus ſit ſemper in ratione directâ cauſæ moventis, liquet manifeſtiſſimè motum ſanguinis omninò ſequi rationem cordis motoris.

41. Nullum in humanâ machinâ exeri motum ſolo organiſmo, ſolâque mechanicâ partium diſpoſitione, jam ſatis fusè probauibus (no. 18, 19) porrò cum nullus concipi poſſit motus ſine motore, ſpontè quaſi fluit ſoli animæ varios adſcribendos eſſe in humano corpore motus, *principium & cauſa effectiva motuum eſt anima*, inquit Borellus, *cum animantia per animam vivant, & durante vitâ motus in eis perſeveret, extincto verò animali, id eſt non ampliùs animâ operante, machinæ*

animalis omninò iners, & immobilis relinquitur (a).

42. Quantum ſit animæ imperium in cordis motus luculentiſſimè commonſtrant diverſa animi pathemata, ad aſpectum boni cujuſdam ſenſibilis ſive præſentis, ſive futuri, tota anima hæret quaſi attonita, natura in eo tantùm verſa ut bonum illud oblatum ſibi conciliet, ſibique, ut ità loquar, uniat, juxta impreſſionum diverſitatem modo validiores, & ſæpiùs repetitas contractiones edet, exindeque diverſa ſubſcaturiunt phœnomena, ut calor totiûs corporis adauctus, nitor faciei, ſplendor occuli; modò ab ideâ perceptâ mali ſeu præſentis, ſeu futuri, tota in mediis quibus profligari poſſit inquirendis natura detinetur, inde horreſcunt totius corporis muſculi, languidiores fiunt cordis contractiones, arteriarum pulſus imminuitur, pallet vultus, &c.

43. Diverſas ſtatuimus animæ facultates quarum cuique ſingularis & propria ab ente ſupremo cura mandata fuit, ut omnes ſuo modo ad ſanitatem compagis humanæ concurrerent, verùm motus cordis reprimere, accelerare ſolius eſt naturæ immediatiùs ad corporis interiora proſpicientis, uti jam ſuperiús vidimus, (no. 25) hinc cum febris materiale totum in ſanguinis circuitu apud Authores ponendum veniat, ſoli naturæ febrim primariò adſcribendam eſſe cenſemus.

44. Naturæ agentis, in morbis potiſſimùm acutis ſemper finis & ſcopus eſt, ut materies hæterogeneæ

(a) *De Mot. Animal. Part.* 1. *C.* 1.

morbum excitantes, oceano ſanguinis intermixtæ ſecernantur ab humorum maſsâ ad ſalutem ægrotantis; nullum autem efficaciùs, promptiùs ideòque frequentiùs in morbis curandis occurrit remedium quam febris; ſanguis etenim febre attenuatur, coquitur, vel ex toto acceſſuum progreſſu, noſtris aſſimilantur humoribus materies morbificæ, vel ſaltem earum vis exterminans domatur, refrænaturque; humores impetuoſiùs per vaſa propulſi ad varia colatoria devehuntur, ibique pars quædam materiæ morbificæ deponitur, ſecernitur, tandemque foras amandatur, ſuffragante experientiâ quotidianâ quâ conſtat febrientes poſt paroxiſmum aliquas ſemper pati evacuationes, uti ſudores copioſos, urinam multam, diarheas, hemorrhagias narium, quæ quidem omnia tanquam effectus naturæ habenda ſunt; unde Avicenna febrim medicinam corporis appellare non dubitavit.

45. Hinc facillimo negotio eruitur duplici ſub reſpectu Febrim conſiderari poſſe, vel quatenùs eſt ſalutare conamen naturæ materiæ morbificæ exterminationem molientis, vel quatenùs conditione quâdam morboſâ afficit ſanguinem, ſi 1um. morbi nomine febrim nuncupare abſonum foret, quidquid enim eſt contra morbum, morbus non eſt, ſi 2um. febrim tanquam morbum ſpectari poſſe non diffitemur, utpotè cum præternaturalem conditionem inducit in corpore, proindèque jam de facili intelliges id quod quibuſdam paradoxum videtur, ſcilicet febrim uno, eodemque tempore morbum eſſe, & non eſſe,

46. Cum autem nulla ſit febris, humoralis ſaltem quin ſanguis materie quâdam peregrinâ, non vitietur, omni ope atque operâ attendat medicus, ut hæc quantocyùs ex corporis penetralibus viâ commodiori à naturâ præſcriptâ evacuetur, præmiſſâ tamen unâ aut alterâ venæ ſectione ut refrænetur vis naturæ ut plurimùm in principio majori cum impetu inſurgentis contra morbum, ſed nec ultrà niſi adhucdum ferociat humorum impetus, teſtibus feliciſſimis in arte practicâ Viris, Sydinhamio, Baglivo in quorum verba ſicuti totidem oracula jurare non deſinam, omnis etenim venæ ſectio è directò quaſi vim vitæ impugnat deſtruit, potiſſimum in ſtatu, vel declinatione morbi, ubi jam franguntur vires naturæ, enim verò ſi id caſu infelici contigerit, vel ægrum jugulabis, vel difficillimè, vel quandoque numquam priſtinæ ſanitati reſtitues. Venam ſecare quaſi nefas habetur apud Germanos qui tamen ad provectiſſimam ætatem athleticâ fruuntur ſanitate.

47. Mirabuntur forſitan quidam quod natura quam jam interlectualem declaravimus, adeò in curandis morbis intellectu carere ut ſin à prudenti Medico regeretur, in ipſiſſimâ œconomiâ animali ſtrages ederet ipſomet morbo debellando quandoque intenſiores multò, quid ergo? ex ideâ perceptâ entis cujuſdam rationalis, non video infaillibilitatis ideam exinde neceſſariâ conſequentiâ ſubſequi deqere, homo etenim licet rationalis fallit, falliturque, bonumque appetens, malum efficit.

Video meliora proboque
Deteriora ſequor.

48. Ex prægressis inpromptu est, ni fallor colligere febrim, moderatam dico, semper ad ægrotantis salutem vertere proindeque hanc à Medico rationali dogmatico nec curari nec sisti debere.


49. Ut autem hujus asserti veritas patefiat, quasdam observationes prodire ad febrim medicatricem ulteriùs confirmandam non abs re esse ducimus.

50. Refert D. Raymond (*a*) Medicus Massiliensis, vir in praxi medicâ exercitatissimus, Adolescentem quendam viginti octo aut circiter annos natum quem insultus epileptici frequentissimè adoriebantur, ab iis penitùs immunem evadere, dùm certò quodam tempore determinato, vel febre continuâ corripiebatur, vel copiosior superveniebat hæmorrhoidum fluxus, quæ si semel abfuerint, de novo excandescebat horrenda hujusce morbi symptomatum caterva, crudeliùsque miser torquebabur. Quod equidem jamdudùm notum fecerat Hipp. Aphor. 57 S. IV. *Febris solvit tetanos, melancholiam, salvum diù facit quartana.*

51. Mulier quædam nobilis obstructiones in variis visceribus, præprimis in utero gerebat, quibus gravis adeò supervenerat leuchophlegmatia, ut femora maximè, potissimum distenta ferè creparent, dùm ad huncce statum devenerat seri extravasatio, apparebant quolibet vesperè quædam febris motitationes, per leve frigus incipientes, cui calor blandus per totam noctem duraturus succedebat, huicce febri mox comes adjungeba-

(a) *Traité des Maladies qu'il est dangéreux de guérir sur la fiévre en genèral, article* 11. *tom. second.*

tur ſeroſus alvi fluxus, dum autem hæc aderant, ſenſim evacuato ſerò detumeſcebant partes, ex toto fermè evaneſcebat leucophlegmatia, tunc verò abſoluto opere intermittebat febris, alvus conſtipabatur, ſed pari paſſu redibat cachecticus corporis habitus, denuòque invadente febre, ſubortâ diarheâ fugabatur, per duos circiter annos haſce modo leucophlegmatiæ modo febris intermiſſiones experta, tandem irrevocabili fato ſuccubuit.



ARGUMENTABUNTUR

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS CHICOYNEAU, *Cancellarius Judex.*

R. D. ANTONIUS MAGNOL, *Decanus.*

R. D. HENRICUS HAGUENOT.

R. D. ANTONIUS FIZES.

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. FRANCISCUS IMBERT.